

bulationis, qualis non antea fuit. Sed bestia, surgens et ascendens de abyssu, in interitum vadit, ut ait Apocalypsis. Hoc etiam asserit et Balaam : et ad extremum ipsi peribunt.

Legitur in hebraico : *Et etiam ipse usque ad interitum*; in samaritano : *Donec pereat*. Ex eo quod pronomen singularem teneat numerum, quidam recentiores interpretes illud aptari asseruerunt populo Hebraeo, qui ultimus nominatur, et in textu primigenio numerum singularem obtinet : *Superabunt Assyrium et superabunt Hebraeam, et etiam ipse usque ad interitum, vel, donec pereat*. Sed gens Hebraea se nunquam perituram esse, ex Dei promissis certa est; Ecclesia Jesu Christi pariter se nunquam perituram certa est; itaque hoc vox solis quadrare potest inimicis Dei. Sic illam Septuaginta interpretantur : *Et ipsi simul peribunt*: eodem modo et Vulgata : *et ad extremum etiam ipsi peribunt*. Septuaginta legisse videtur  $\text{וְיָ}$ , simul, pro  $\text{וְיָ}$ , usque, et Vulgata hanc extremam vocem voce ad extremum expressisse videtur, sed proprie significat usque. Hic Balaam de Kithais dicit, quod de Amalecitis cecinit; et in hoc incidunt voces simul septuaginta Interpretum et etiam Vulgatae. Amalec ad interuentionem affligitur et etiam ipsi peribunt. Haec sors manet inimicos populi Dei, hos praesertim, qui in ultimis hisce temporibus, ultimis iectibus Ecclesiam Jesu Christi petierunt; similiter ac Romani, qui primos illi iectus inflixere, etiam ipsi peribunt.

Fuerunt qui affirmarent hebraicam vocem hanc  $\text{בַּלְעָם}$  non esse nomen cui respondeat vox interitus; sed participium, ita ut litterae consentanea esset haec versio : *Usque ad perentem*. Contorta esset expressio, verisimiliusque est hic adhibitum fuisse, ut in plurimis aliis textibus, infinitivum  $\text{בָּלְעָם}$  quod apud Hebraeos, et etiam apud Graecos, supplet nomen veritale accuratè expressum per usque ad interitum. Plu-

rimis exemplis hoc comprobatur, ut in Deuteronomio, capite 7, versiculo 20 : *Usque ad interitum eorum qui relicti fuerint, et in capite 28, versiculis 20, 22, usque ad interitum tui*.

Hic finem sumunt Balaam prophetae omnes. Quarum objecta magna resumamus.

Prophetiae Balaam spectant ad Israel, cui illi iura propria data sint, quae illata promissa, commemorat, victorias ejus concinit; praesertim indicare videtur Saül, Davidis et Salomonis regna. Exoriendum ex illo populo divinum Liberatorem praedicit. Loquitur de Moab et Edom, Amalecitis et Cineis, Assyrijs et Kithais. Sed omnes ejus sermones merè parabolae sunt in quibus, per antiquum Israel, figuratur Israel novus, qui est Ecclesia Jesu Christi; Moab imago est increduli Judaei, in Jesum Christum rebellis; Edom, gentilis, qui ad fidem vocatus hereditas fit Jesu Christi; Amalec, idololatrae Romani, ob offensum Christo animum, anathematibus obruti; Cinei, qui Amaleciaurum excidio exempti Assyrionum in manus incidunt, christiani Graeci sunt, Romanorum eladi superstitibus, posteaque sub Turcis principibus captivi. Assyrii, qui reducti in servitium Cineis, ipsi incidunt in potestatem populi qui Hebraeorum fiet hostis infensissimus, significant Turcas, Graecis subactis et captivis, ipsos incurrentes discrimen interitus sub manu populi qui, in seculorum fine, sese maximum hostem feret populi fidelis : denique, in Kithais qui, subacto pariter Assyrio et Hebraeo, ut Amalecite intereant, cognoscitur populus antichristianus, qui, in novissimis temporibus, oppresso et sub jugum misso christiano pariter ac infideli, in aeternum peribit cum infidelibus, dum contra populum christianum summam felicitatem cum Christo in coelestis gloria sede beatur (1).

## DE BEELPHEGOR, CHAMOS,

### CÆTERISQUE MOABITARUM DIIS,

#### Dissertatio.

Utriusque simul numinis Beel-Phegor, et Chamos hunc locum esse censimus, quod ambo inter Moabitarum deos à Moysè adoptentur. Nota sunt etiam in S. Scripturâ ejusdem gentis, ubi credimus numina Nebo Baal Meon, et Baal Dibon. Haec simul omnia expendere im-

praesentiarum constituimus, ne molestâ satis repetitione eadem saepe oggerere cogemur; ideo maxime quod variis hisce nominibus unum

(1) Dissertatio de *Bal. prophel. uniuersionese* in cap. 21, v. 14-15 Numerorum, ex Bibl. de Venec desumpta sunt.

eundemque Solem, Adonidem, Osiridem designari non incongruè autumamus. Est autem nobis propositum afferendi primum ea quae de hoc argumento Scriptura suppedita, tum conjecturas nostras ea de re subjiciemus.

Nomen Chamos ex arabicâ radice derivatum accelerare significat; eodemque apud Moabitas nomen designabatur, quod velut universae gentis supremum regem et Dominum colebant. Hinc saepe in Scripturâ Moabite appellantur populi Chamos (1) et Prophetae imminentem in Chamos ejusque populum captivitatem et mala nuntiantur (2). Tandem Moabitis regionem Amorrhæorum; ab Hebraeis sub Moysè occupatam, repetentibus (Judic. 11, 14), quod scilicet veteri jure ad se pertinuisse dicerent, Judaei haec reponunt : *Nonne ea quae possedit Chamos Deus tuus, tibi jure debentur? Quae autem Dominus Deus noster victor obtinuit, in nostram cedent possessionem*. Scitum est etiam, Salomone curante, templum diis Moabitarum in monte è regione Jerusalem (3 Reg. 11, 7, et 4 Reg. 25, 15) excitatum fuisse, quem locum Israelitae frequentasse, saepe atque cultum Chamos impendisse legimus. Quae verò hujus nominis esset figura, quis ritus, nullibi satis expressum in S. Scripturâ invenitur. Hactenus S. Scriptura de Chamos.

Ex affinitate duorum nominum, Ammon scilicet et Chamos, unum eundemque Deum utroque appellari vocabulo, illo apud Ægyptios, hoc apud Moabitas, aliqui suspicati sunt. Macrobius Ammonem et Solem confundendos censet (Macrobi. Saturn. lib. 1, cap. 21) : illius enim cornua, aut, hujus radios designant. Porro Ammonis cultus longè latèque obtinebat per Lybiam, Æthiopiâ, Indias, Arabiam, ubi et Moabite sedes habebant (Lucan. Pharsal. lib. 9) :

*Quamvis Æthiopyum populis, Arabumque beatis, Gentibus, atque Indis unus sit Jupiter Ammon.* Nomen Chamos celeritatem, expeditumque aliquid sonans, cum solis rapido circa terram motu quadrat.

Apud auctores profanos nota sunt synonyma Solis, deus *Homarus*, et *Apollo Chomens*; cuius posterioris numinis simulacrum è templo suo in templum Palatinum, Romæ excitatum, translatum fuisse Ammianus testatur (5). Deo

(1) Num. 21, 29; Jerem. 48, 46 : Peristi, popule Chamos.

(2) Jerem. 48, 7 : Ibid Chamos in captivitate, sacerdotes ejus, et principes ejus simul.

(5) Amm. lib. 25 : *Avulsus sedibus sim-*

Homano aeternum ignem servasse Orientales, maxime Persas, et Cappadoces. Strabone auctore proditum est (Stral. lib. 15). Porro ignes solis arsisse ignorat nemo, servatosque credo intra septa, seu in templis illis subdivulibus, de quibus Moses, sub nomine Chamos (Levit. 26, 50, et 2 Par. 34), et Strabo voce *Pgreja*, vel *Pgratheja*; urbes etiam Comana in Ponto, Pisidia, et Cappadocia facile ex Chamos vel Chamania; nomen derivasse suum crediderim. In his urbibus celebre habebatur templum *Bellona*, ejusdem, quantum conjicio, nominis ac *Bet Ana*, seu *Anais*, Luna, vel *Diana* (1). Hic autem opportunè recollenda sunt, quae in dissertatione de Moloch fusè demonstravimus; de cultu nempe Solis et Lune, quemadmodum et de nominibus utriusque astrî varîe confusis permixtisque apud Orientales.

Templa Chamos editis potissimum locis insidebant, quemadmodum de templo à Salomone ædificato in superioribus observavimus. Ex templo in ejus honorem supra montem Nebo erecto, facile numini inditum est nomen *Nebo*; et cum Moyses referret deductum à rege Moab Balaamm (Num. 22, 41) ad *excelsa Baal*, facile pro *excelsa Chamos* positum est; cum nomen Baal æquè de omnibus usurpari ronsueverit, et Moyses nominis de Chamos ad id usque habuisset sermonem.

Sunt inter interpretes, qui Chamos cum Chamos confundant, quæ sanè vox græcè sonat *Deus crapula*; sicut Phegor redditur *Deus sollicitatis*. Porro nomen Chamos Baeco sive Dionysio tribuitur, et Phegor Priapo; uterque autem Deus ad solem refertur. Ita Gerardus, Joannès Vossius, lib. 2, cap. 8, de Origine et progressu idololatry. Sed has conjecturas ex harmoniâ quâdam vocis græcæ cum hebraeo nomine deductas, fuit esse neminem latere arbitror.

S. Hieronymus, et interpretes plerique in ea sunt opinione, ut Chamos et Phegor confundant; quod sanè nobis verissimè dictum creditur. Persicâ referente scimus idolum Chamos,

« lacrum Chomei Apollinis, perlatum Romam  
« in sede Apollin. Palatini Deorum antistes  
« collocarunt. »

(1) Strab. lib. 20; Cic. de Leg. Manil. ; Hirt. de Bell. Alex., c. 66; « Cesar venit Comana, « vetustissimum et sanctissimum in Cappadocia  
« Bellonæ templum, quod tantâ religione colli-  
« tur, ut sacerdos ejus deæ majestate, imperio  
« et potentia secundus à rege consensu gentis  
« illius habebatur. » (Vid. Cellar. Geogr. lib. 5, cap. 8, pag. 198.)

ex nigra petra constans, muliebri figuram retulisse. Niceta Venerem esse arbitratur, omnia fidei subleste.

Qui putat Chamos veterem fuisse Ammonitarum principem, ab illis post obitum consecratum, illi sanè numini et humanam figuram et regis insignia tribuunt. Sed undenam illi opinionem suam derivarunt? Ammonite et Moabite recentiores sunt populi, cum Ammon et Moab, filii Loth, coevi fuerint Isaac filio Abraham; quare eorum posteritas non prius in unam gentem adolevisse potuit, quam cum Israelite ipsi adoleverunt, nempe 100 annis ante obitum Moysi circiter. Qui igitur fieri potuisse credimus, ut ejusdem legislatoris aetate principem summ jam consecraverint? Ita sunt que de Chamos afferuntur conjecturae; restat modo, ut certius aliquid de *Beel-Phegor*, si quid poterimus, afferatur.

*Beel-Phegor*, sive Deus Phegor eundem esse cum Phegor nullus dubito; quod sanè Origeni et S. Hieronymo prius visum, omnibus deinde recentioribus interpretibus probatum est. Porro *Beel-Phegor* juxta Origenis interpretationem est *Idolum turpitudinis* (1), quam sanè turpitudinem, verecundiae parces, Moyses apertioribus verbis exprimere noluit. Addit idem Origenes, cultui numinis mulieres prae exteris addictas fuisse. Et S. Hieronymus post illum (Hieron. in Osee cap. 4): *Colonibus maxime feminis, ait, Beel-Phegor ob obsceni magnitudinem, quem nos Priapum possumus appellare. Censet autem viros illos effeminatos, et mulieres in cultum idolorum prostitutas, de quibus saepe in Scriptura (vide 5 Reg. 15, 15, et Par. 9, 16), mysteris Beelphégor, sive Priapi initiatas fuisse. Hisee ceremoniis praesidebat Maacha, mater regis Asa, coacta tandem pii filii auctoritate sacerdotum deponere. Tandem sequitur Hieron. in Osee 9: Interpretatur Beelphégor idolum teutiginis, habens in ore, id est, in summitate, pellem, ut turpitudinem membri, virilis ostenderet. Probris hisee cultus Beelphégor ceremoniis probrosiore alteram addeutes Rabbinii censent cum Maimonide, obscenorum membrorum revelatione cultum numini impendi consuevisse (vide Maimon. More Neboch, p. 46 et Jarchi in Num. 25, 5), et Jarchi, oblata fuisse Deo excrementa, quod vix credimus. Quod autem maxime confirmat opi-*

(1) In Num. cap. 25; Hom. 20: « Beelphégor, quod est idolum turpitudinis. » Et infra: « Idoli nomen est, quod apud Madianitas precipue à mulieribus, colebatur. »

nionem Phegor cum Priapo confundentem, illud est, quod Osee 9, 10, pudendi Beelphégor cultus describuntur: *Ipsi autem abalienati sunt in confusione, et facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt.* Scitum est, quantà impudenti filiae Moab Israelitas ad crimen provocarint (Num. 25); nec sanè ignotum, sive Priapi nomen, sive cultus ei numini impensus.

Sunt qui Beelphégor ad Saturnum referunt (Theodoret. in Pss. Apollin. in Caten. in Pss. Suidas Mas. in Josue. Otinger. Hist. Orient. cap. 7), ejus postremi nominis cultui Arabia, in qua Moabite, devovebatur. Nomen Beel pariter Phegor et Saturno commune erat, et Saturni sacerdotes nudos se coram numine fidei planè sistebant. Hisee conjecturis opinionem fulciunt, quae tamen notat.

Alii ex nominis etymologia naturam Phegor deprehendere tentantes, observant vocem illam ex chaldaeo deductam, sonare ventris relaxationem; ex quo conjecturae locus, Phegor, ipsissimum esse deum crepitum ventris, quem apud Aegyptios, una cum deo Ructu consecratum narrat Origenes (contra Cels. pag. 255), et S. Hieronymus (1), sicut et ante illos Minucius Felix (2). Nec sanè indigna erant ea numina, quibus ab Aegyptiis divini honores deferrentur, cum apud eas gentes vel ipsi porci, caepe, crocodili, lupi, febris, procella, fulmina, mala fortuna consecrarentur. Sed frustra hisee conjecturis futilibus arguendis immoraremur.

Aliis inter eruditos (Scalig. Bucer. in Ps.) visum est, nomen Beelphégor nomini per ludibrium Deo Moabitarum tribui, quem enim Moabite facile appellarint *Baalreem*, Deum tonitruum, hunc ab Hebraeis per contemptum deum crepitum ventris audisse autamant. Ita planè deum Accaron Judaei appellatum volebant *Beelzebub* deum Muscarum; et Bethel, urbem idolo auro Jeroboami consecratam, impudato nomine, *Bethaven*, donum iniquitatis, nuncuparunt.

Vossius tandem (de Orig. et progr. idolol. l. 2, c. 7) nomine Beelphégor designatum credit Solem et Priapum, quo posteriori nomine Solem eundem saepius denotari in theologia paganorum constat. Porro etymon Priapi accessit ex hebreo *Ab*, Pater, et *Peor*, vel *Phegor*; ac si diceretur *Deus*, vel, *Pater Peor*, quo-

(1) In Isai. lib. 45: « Ut taceam de formidoloso et horribili caepe, et crepitu ventris inflati, quae Pelusiaca religio est. »

(2) Minuc. in Octav.: « Nec Serapidem magis Aegyptii, quam strepitus per pulcenda corporis expressos contremiscent. »

modo usurpari solet apud paganos Pater Jupiter, Pater Neptunus, etc.

Rei gestae in agris Moabitarum cum nempe Israelita in superstitionem Beelphégor irruerunt describens. Psalmista negotium interpretibus facit (Ps. 103, 28): *Initiati sunt Beelphégor, et comederunt sacrificia mortuorum.* Quorum, rogo, mortuorum nomine designantur?

Sunt qui indicata ipsa Beelphégor sacrificia crederent; quippe qui deus mortuorum appellaretur, Deo Israelitarum, Deo scilicet viventi planè oppositus, quare Psalmista verba tantumdem sonare censent ac Moysis illa: *Quae vocaverunt (filiae Moab Israelitas) eos ad sacrificia sua. At illi comederunt et adoraverunt deos earum* (Num. 25, 2). Favet huic opinioni S. Augustinus, alique nonnulli (Aug. in Ps. 105, item Cassiod. Remig. alii), explicantes illud de sacrificiis mortuorum, pro victimis mortuorum hominum numinibus. Hinc Israelite divinis honoribus mortuos colerunt: neque enim praeter homines vitam functos paganorum Deos fuisse reputandum est.

Maluerunt alii, Hebraeos ceteris criminibus hanc etiam fecisse accessione, quod Moabitarum funeribus sese polluisent, tum funebribus eorum ceremoniis, tum funereis epulis communicantes; scitum est enim paganos oblationes suas mortuis ritè solvisse (1); uti cum in medià vità testam relinquabant, corollis ornata, et violis aspersam, in qua fruges, sal, et panis vino mollitus, sparsi violis. Verùm eas superstitiones apud Moabitas etiam obtinuisse, et ad Hebraeos vel minimum pertinuisse, affirmare quis ausit?

Seldenus in suo opere de Diis Syris confundendum autumat Beelphégor cum Plutone, sive Deo mortuorum, id autem in causâ fuisse, cur Psalmista nomen illud mortuum, sive mortem appellaret; sicut et oblata Manibus sacrificia, *sacrificia mortuorum* dicta fuisse censet (de Diis Syr. syntag. 1, c. 5). Laudat in eam rem paraphrasim Apollinaris, in qua Hebraei se polluisse sacrificiis Beelphégor inducuntur, hecatombes mortuis immolatas degustantes. Apud Sanchoniatonem (apud Eus. Praep. l. 1, cap. 10) legitur à Patre Saturno consecratum fuisse *Meth*, ex uxore Rheâ natum; hoc autem habuisse nomen Phoenices, modò sub Mortis

(1) Ovid. Fast. 2:

*Tegula porrectis satis est velata coronis,  
Et sparsae fruges, parvaeque mica salis,  
Inque mero mollita Ceres, violaeque solute:  
Haec habeat mediâ testa relicta viâ.*

nomine, modò Plutonis invocatum. Item Moth tanquam ex primis rerum auctoribus juxta theologiam paganorum, apud eundem describitur. Solebat etiam apud Aegyptios Isis eodem nomine Moth, nempe Mater, auctore Plutarcho (de Isid. et Osir.), appellari; eodemque referente ex testimonio Archenici Euboici, et Heraclidis Pontici scimus, *Serapidem* ipsissimum esse Plutonem, sicut *Isidem* Proserpinam. Ex quibus omnibus pronum est inferamus, pro eodem usurpari apud paganos Jovem, Plutonem, Bacchum, et Solem.

Ut certum quid in tantâ opinionum varietate statuamus, atque inter fuitiles et multiplies conjecturas satis optimam eligamus, vix fieri posse credimus. Ea tamen prae ceteris placeat, quae Chamos, Phegor, et Moloch in unum accensent, eundemque omnes Solem designasse credit; quoniam et illud fateamur oportet, cultum Phegor et Chamos alium fuisse ab eo, qui Moloch impendebatur. Huic enim humanis hostiis litabatur; mitiori autem, uti quidem credimus, sacrificia Phegor et Chamos gaudebant. Porro sacrificia Phegor *sacrificia mortuorum* appellat Propheta; unde facilis conjectura ducitur, eo nomine Adonidem, sive Osirim designari, cui funebres ceremoniae celebrabantur, adhibitis lamentationibus, plorantibus, aliisque apparatus lugubri. Sed haec intacta hincque apud alios scriptores, maturius impresentiarum examinanda sunt.

Phegor nomen erat notissimum in Arabia et Palaestina, ejus numinis mysteris Hebraei et initiari se, et polli una cum filiabus Moab passi sunt. Factum iode, ut Dei illius religionem alitè adeo imberberint Hebraei, ut saepius deinde in ejus cultum viros mulieres initiarent. Haec de Phegor, ejusque cultu in Scriptura. Haec autem cum ceremoniis et cultu Adonidis adeo congrunt, ut vix alterum ab illo Deum fuisse Phegor credamus. Porro Adonidem ab Aegyptiis, quemadmodum et reliquis ferè omnes paganorum superstitiones, derivatum fuisse, neminem ignorare credo. Isis seu Venus amissis conjugis, Osiridis nempe sive Adonidis ab apro occisi desiderio, festum in ejus honorem instituit, quo funera amass lugerentur. Post luctum tripudia veluti conjuge invento. Ab Aegypto in Judaeam superstitio irrepsit; quare Ezechiel mulieres lugentes Adonidem in templo per visum spectavit (Ezech. 8, 14); Lucianus eadem sacrificia, qualia Babiloni urbis Phoeniciae spectavit, describens, narrat (Dea Syr.) magno luctum et clamorem per totam

viam apparatus funera Adonidis celebrata fuisse. Manè alterius diei mutata omnia; sparso enim inter populos rumor de vitâ nuntius, ejus simulacrum in aere elatum succedit, crines abscedunt, uti in moribus positum est apud Aegyptios pro morte Apidis. Tantundem ac viri, mulieres quoque observant, quarum si fortè aliqua rennerit, illa in honorem deae prostituere se, tum et pretium prostitutionis consecrare cogitur. Hujus festi sacrum tempus vere, cum scilicet annis Adonis liquatis Libani nivibus tumens, atque alvei sui arenis rubescens in mare præceps devolvitur.

Facile etiam credimus, gliscentes apud Babylonios, easdem superstitiones designasse Baruch, cum sacerdotes ejus gentis in suis sollemnitatibus ita describit (c. 6, v. 50, 51): *In domibus eorum (dorum) sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, et capita, et barbâ rasam, quarum capita nuda sunt. Rufinant autem clamantes contra Deos suos, sicuti in cenâ mortui.* Eadem apud Assyrios obtinuisse, apud quos etiam lamentationes Proserpine frequentes, Macrobius commemorat; quin et ab eisdem gentibus in Phœniciam derivatam superstitionem significasse videtur (Saturn. lib. 1, cap. 21). Addit his in singulis annis festum illud recurrere, quod scilicet mense dies decrescunt, et quo augentur; sive duorum æquinoctiorum, autumnalis, et verni tempore, nempe Janâ, uti ferunt, decimâ septimâ. Eodem verno tempore Adonidis festa Athenis celebrari Plutarchus testatur in Alcibi, narrans imposita mortuorum simulacra in feretris, veluti trophæa in viâ statui consuevisse, quâ funebri pompa Adonidis circumferebatur, tota interim vicina lucibus, et ploratus amaris oppido insonante. Alexandrinorum lectum eâ occasione celebratum, duodecimo mense, nempe anni Aegyptiaci ab æquinoctio autumnali exordientis postremo, Theocritus describit. Tandem, cum Ezechiel per visum spectavit feminas plorantes Adonidem, tunc sextus mensis anni sancti à paschate initium ducentis agebatur (vide Ezech. 8, 1). An eodem simul tempore solerent Israelite sacris Beelphegor initiari, modò disquirendum est.

Rex Moabitarum pessimo consultore Balaam propheta usus, missis in castra Israelitarum puellis hostes ad sacra superstitiones suas pellexit. Quo id potissimum anni tempore contigerit, quamquam nihil Moyses expresserit, factum tamen quinto ante obitum ipsius mense, nempe ante incertum mensem duodecimum

amni sancti, februario nostro respondentem, facile credimus. Aaron frater Moysis diem clausit mense quinto anni sancti, anno mundi 2562, ejusque obitus Mosaicum præcessit 6 vel 7 mensibus; quare decessisse Aaron debuit labente julio, sive augusto incunte. Secundum hæc, bellum in regem Arad susceptum est, brevi confectum. Tum Israelite secus montem, flor rectâ ad torrentem Arnon processerunt. Porro à monte ubi Aaron diem clausit, usque ad torrentem illum in finibus ditiosæ Sehon fluentem, octo tantum mansiones Moyses enumerat; hisque emensis bellum narrat cum Sehon, alteramque cum Og gestum. Duobus vicinis præliis ambo reges à populo devicti sunt; quare non diu expeditio duravit. His auditis, Balac, rex Moabitarum, accitum Balaam mali illius consiliî, de quo nuper diximus, auctorem habuit. Hæc sanè omnia eo temporis spatio contigisse poterunt, quod inter labentem julium, et diem 17 sive 18 septembris, Adonidis festo sacrum, intercedis.

Occasione igitur festi Phegor sive Adonidis acceptâ, puellæ ejus superstitionis ministræ, in castra Israelitarum ad Settim in agro Moab venientes, populum ad sua sacra invitarent. Videbantur ex amica gente venisse, cum Moabitis amices haberet Judæi, ab armis in eos inferendis à Deo prohibiti; videbantur etiam oris lascivientis aspectu juniorem ac victoribus tripudiantem populum plus allexisse quam verbis. Quare facile seducti Judæi, in sacra atque convivîa, post luctum Adonidis celebrari solita, tum et in eas, quæ superstitionibus hæc appendices sunt, obscenas religionis prouerunt.

Vix dubito Mosaicis illas leges, caventes ne in rotundum attondeant contam, ne radant barbâ, ne super mortuo (vel pro mortuo) incidant carnem (Levit. 19, 27, 28), aliò quam ad Phegor, Osiridem, et Adonidem (quæ tria sunt ejusdem idoli nomina) spectasse. Cujus rei has in promptu habemus conjecturas: Scitum est in festo Adonidis eundem servari luctum consuevisse, qui lugendis charissimorum funebribus, ploratus, ejulatus, lamentationes, suspensiones pectoris, vestium scissiones, etc. Solebant viri comastondere, quas femine passas negligebant, quamquam et aliquando avellere crines solebant. Apud Bionem in Epitaphio Adonidis Amores inducuntur, Dei funus lugentes, capite abraso, arcum et spicula procucant. Sponsa nuntius per nuntios oberrans, modo pede, passisque crinibus, largo fletu sylvam irrigat. Femine Alexandrinæ apud Theocri-

tum sparsis crinibus, aperto sinu, et vestibus discissis parent. Apud Aristophanem mulieres tecta domorum ascendunt, quò luctus sui faciant spectaculum. Porro in lugendis privatis funebribus paria tum apud paganos; cum apud Hebræos servabantur; quare dum Moyses ceremonias hæc super mortuo interdicat, eâ sanctione superstitiones tantummodò Phegor vel Adonidis interdixisse censendus est; nullâ enim lege prohiberi sibi morem finitimarum gentium, in lugendis parentum funebribus, Israelite unquam persuasum habuerunt.

Nec aliò spectare crediderim hortos illos superstitiosos, quos prophete Judæi, nec raro quidem, exprobrant (Isai. 1, 29: *Confundentur... ab idolis quibus sacrificaverunt, et erubescetis super hortis quos elegeratis*, et cap. 63, vers. 5: *Populus qui ad iracuandiam provocat me ante faciem meam semper; qui immolant in hortis, etc.*; et Amos 4, 9: *Percussit vos in vento urente, et in aurugine, multitudinem hortorum vestrorum, et vinearum vestrarum, etc.*). Quis enim hortos Adonidis apud profanos non legerit?

In edicto, quo Deus cavet ne Sacerdotes funus necessarium, nisi intra certum gradum necessitudinis, lugant, hæc mandat (Levit. 21, 5, 6): *Non radent caput, nec barbâ, nec in carnis suis facient incisuras; sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus.* Quæ igitur sacerdotibus tantum interdiciuntur, hæc sanè continuo cæteris permissa esse constat. Alii etiam Moyses verba facit ad Aaronem ejusque filios occasione Nadab et Abiu igne coruptorum (Levit. 10, 6): *Capita vestra, ait, nolite nudare (id est, radere), et vestimenta nolite scindere (scilicet lugentes funus Nadab et Abiu). Fratres vestri, et omnis domus Israel plangent incendium, quod Dominus suscitavit.* Licebat ergo Israelitis et Levitis, quod sacerdotibus interdictum erat. Tandem jubetur à Domino Jeremias renuntiare Israelitis suis verbis cap. 16, v. 6, 7: *Abstuli à populo isto misericordiam et miserationes; et moriuntur grandes et parvi; in terrâ istâ non sepeliuntur, neque plangent, et non se incident, neque calvitium fiet pro eis.* Cur, rogo, hæc minis terrentur Israelite, si ne lugerent eo ritu funera cantum fuisset à lege? An minuitur Deus commissurum se, ne fiat quod jam abrogatum est? Deus etiam ad Ezechielem cap. 24, v. 16, 17: *Ecce ego, inquit, tollo à te desiderabile oculorum in plagâ, et non planges, neque plorabis, neque fluent lacrymæ tuæ. Ingenisse tacens, mortuorum luctum non facies; corona tua circumligata sit tibi, et calcea-*

*menta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, nec cibos lugentium comedes.* Omnia porro hæc eibus propheta, nisi Dei preceptum obtulisset.

In veterum legum interpretatione, habenda est ratio diligenter de receptâ legis observandæ consuetudine apud illos, quibus indicta est. Illud enim reputandum est, religiosos saltem viros nunquam sibi à spiritu et observatione ejusdem recedendi licentiam permisisse. Quod sanè, si de aliquibus unquam, certè de Judæorum viris religiosis præsumendum credimus, legis studiosissimis, apud quos à legis sanctionibus vel lato ungue recedere religiosum fuerat. Quare cum religiosissimum etiam Judæorum in moribus positum noverimus, ut domesticorum funus comæ et barbæ abrasione, scissione vestium, etc., lugerent, non est cur hæc à Moysè interdicta suspicemur; aliusque proinde legum saltem in specie eâ interdictum sensus requirendus est.

Si quis planè mentem adhibet legi in Levitico late, quâ luctus super mortuo populo interdictum, is facile intelliget, paganam superstitionem, apud finitimas gentes obtinentem, legislatorem spectasse: *Non engrubimini neque observatis somnia, neque in rotundum attondebitis contam, nec radetis barbâ, et super mortuo non incidetis carnem vestram, neque figuras aliquas aut stigmata facietis in vobis, etc.*, Levit. 19, 26, 27, 28. Porro attonsis comæ apud Arabes religiosa erat Barbæ, barbâ radere, carnes incidere, apparatus erant luctus, quos Adonidis adeoque et Phegor, uti facile credimus, funus legebatur. Stigmata inurere carnis, frequentissima erat per Orientem superstitio, auctore Luciano (de Deâ Syri).

Sed juvat in nostram sententiam verba legislatoris recitari, quibus paulo ante obitum easdem leges confirmat: *Filiî estote Calvitii Dei vestri, non vos incidetis, nec facietis calvitium super mortuo, quantum populus sanctus ex Domino Deo tuo, Deut. 14, 1.* Ita Moyses ad populum qui cultu Phegor impenso, religioni suis criminem irrogaverat. Ex superioribus autem satis constat, Adonidis cultoribus et comam abraderere, et carnes incidere familiarem superstitionem fuisse. Alter etiam Dent. 26, 14, locus in hæc rem prætereundus non est. Israelite primitias suas Domino oblaturi venientes, hæc profiterentur: *Non comedi ex eis in luctu meo, nec separavi ea in qualibet inmunditiâ, nec expeudi ex eis quidquam in re funebri.* Hebr., *nec dedi quidquam mortuo.* Quid hoc est, rogo, nisi

aperta Israelitarum professio omnes se primitias suas Domino obtulisse, nullâ reservatâ portione pro Iside deâ, serendi arbores colendique agros inventrice, juxta Ægyptios, cujus deâ luctus pro amisso Osiride vernâ messe ineunte recurrebat? Quam in rem nihil se expendisse Hebraei sive in usum sacrificiorum, sive epularum ad cultum mortuâ, hæc solenni formulâ profitentur.

Quibus ita se habentibus, facili in eam sententiam descendimus, quæ Beelphegor cum Adonide confundit; eumque quem Moabite Phegor, ipsum eundem credit ac Osiridem Ægyptiorum, Adonidem Phœnicum, Athynam Phrygam, Atyr Syrorum, et Thammas Hebræorum. Quo enim loco habet Vulgata: *Plangentes Thammas*. Quibus enim Phryges Athynam colebant ceremoniis (vide Macrob. Satur., l. 1, c. 21), iisdem et Syri suam Atyr (vide Lucia, de Deâ Syr. et alios), Ægyptii Osiridem, Phœnicos Adonidem. Ita varia hæc nomina juxta paganorum theologiam ad unum Solem referuntur.

Facile etiam deprehendere nobis videmur nominis Phegor sive Peor vestigia in deo Oro, ex veteri Ægyptiorum rege in censum nimirum translato filio deæ Isidis, cui etiam inditum cognomen Apollo, sive Sol (vide Macrob. loc. cit.). Deus ille, auctore Diodoro Siculo Bibl. l. 4, c. 2), matrem habuit Isidem, quæ post occisum à Titanibus filium, extincti cadaver in aquâ inventum ad vitam revocavit, tum et donavit immortalitate. Ferunt huic Orum regum deorum in Ægypto seriem clausisse. Ex deâ parente artem vaticinandi, tum et curandi morbos dedicit; ex quo Ori nomen longè latè per universum orbem propagatum est. De tanto filio sibi plaudens mater, in inscriptione ab eodem Diodoro relatâ ita de eâ sua prædicat: *Ego sum uxor Osiridis; ego sum prima frugum inventrix; ego sum Ori regis mater.*

En Peor dei Moabitarum origo. *Pe*, sive *Pi* Ægyptii articuli loco positum est; *Or* nomen est Dei, cujus funus tum et post funus in vitam revocatio celebratur. Extat etiam ejusdem nominis vestigium in nomine religiosi filius abbatibus *Pior*, et in nomine *Origenis*, quod ex Ægyptiorum consuetudine, nomina sibi deorum imponentium, repetendum est. Nominis *Thammas* noti sunt Ægyptii quidam in historiis (Plato in Phædr. Plutar. de Def. orac.); Tham-

mas autem Adonidem refert. Animadvertione dignum est, apud Herodotum nihil quidem legi de Thammas, sed tantum de *Ammo* (l. 2, c. 45); ex quo facili suspicamur T. sive C. in Chammas et Thammas à radice nominis extraneum esse.

Adoni Hebræis est *Dominus*, quo sanè titulo uxores viros suos compellant, ut Sara Abrahamum (1). Potest ergo Ammus seu Thammas peculiare viri Isidis nomen designare, Adonis verò genericum fuisse nomen, quemadmodum Beelphegor, sive *Baal-Peor*, ut est in hebræo vero Dei nomini *Or*, adjunctum habet *Pe* loco articuli, et *Baal* qui dignitatis titulus est, appellatus est ab Hebræis.

Ad complementum dissertationis addendum aliquid est de cæteris Moabitarum nimirum, quo omnia ad ejus gentis religionem spectantia uno eodemque lucubrations contextu collecta habeamus. Mentio est apud Moysen de *Baalmeon* (Num. 32, 58. Vid. etiam Jos. 15, 17; Exec. 25, 9) urbe in veteri Moabitarum ditone, quam ex vetusto aliquo gentis idolo nomen derivasse sum credimus non inviti. Cùm verò alteram quàm Chamos et Phegor vel Peor nimirum apud eas gentes mentio nulla occurrat, hinc facili credimus alterutri ex iis nimirum urbis nomen accepto referendum fuisse. Porro nomen illud sonat: *Commoratio Baal*.

*Nabo*, alius Moabitarum deus apud Isaiam 46, 1: *Contractus est Bel, contritus est Nabo, facta sunt simulacra eorum bestis et juvenis*. Septuaginta pro *Nabo* legunt *Dagon*. In urbe *Nabo*, Dei Chamos alio nomine Beelphegor, simulacrum constitutum S. Hieronymus autumnavit (In Isai. 45, l. 5); ex quo facili contigisse poterat, ut de urbis nomine Deus appellaretur. Sed ut ingenuè fateamur, sancti viri sententia nullis satis validis fulcitur argumentis; atque Prophetæ oracula de eâ regi Babylonicâ lata, de nomine quodam horum populorum ultra explicanda se offerunt. Porro nomen *Nebo*, vel *Nabo*, aut *Nab*, recurrit in Nabuchodonosor, Nabuzardan, Sengar Nabu, et Nabuzebdan (Jer. 59, 45), principibus Babylonicis: deductum verò ex hebræâ etymologiâ sonat Prophetam, Vatem. Hinc facili oraculum quoddam indicat; an idem ac Nabehaz (4 Reg. 17, 31), idolum Hevæorum, quam gentem Sennacherib

(1) Gen. 18, 12. Postquam consensui, et domini meus (hebr., *Adoni*) vetulus est.

è regione Transægyptiaca in Samariidem transiit. Suspicatur Vossius, in loco Isaiæ Bel et Nabo duo diversa nomina designare, illum nempe Solem, hunc Lunam (De Or. idolol. lib.

2, c. 2). Sed commodè etiam duo illa confundi possunt, ut *Beel* titulus sit atque illi cæteris quoque diis communi, et *Nabo*, quod oraculum sonat, nomen sit numini peculiare.

## DE XLII MANSIONIBUS AUT STATIONIBUS ISRAELITARUM Dissertatio.

Cùm incertè sita sint pleraque loca in quibus Israelitæ per quadraginta sui itineris annos castra posuerunt, ab exitu de Ægypto usque ad eorum introitum in terram promissionis, inde varia surrexerunt systemata. Non hic omnia discutienda suscipimus; de systemate D. Calmet solius sermo erit. Ipse nos monet doctissimus ille interpres in suo commentario, se insudasse illustrandæ huic Scripturarum parti, usque ad dies nostros nimium neglectæ. Hic recolligimus varia commentarii ejus loca ex quibus judicatur rectissimè systemata, multaque insuper annotabimus, seu amplius evolventi causâ systematis, seu illustrandarum gratiâ difficultatum quæ in illo reperiuntur.

Non situs mansionum aut stationum Israelitarum omnes æquè incerti sunt: ex magis cognitis statuuntur quasi fundamenta systemata D. Calmet de Itinerario Israelitarum per desertiam. Distingui possunt sex precipue stationes quæ ad statuendas alias utiles sunt. 1<sup>a</sup> Ramesses, quæ prima est; 2<sup>a</sup> Sinai, quæ undecima; 3<sup>a</sup> Cades-Barne, quæ quinta decima; 4<sup>a</sup> Asiongaber, quæ tricesima et secunda; 5<sup>a</sup> Cades in deserto Sin, quæ tricesima et tertia; 6<sup>a</sup> Campi Moab, qui quadragesima secunda sunt et ultima.

1. Ramesses. — Prima statio Hebræorum fuit Ramesses in Ægypto: hic sese congregaverunt; hinc profecti sunt. Quam urbem D. Calmet inter maximas civitates fuisse existimat terræ Gessen, quæ ipsa etiam appellatur *terra Ramesses*. Regionis Gessen caput erat Ramesses, et in capite XLVII Genesis, versiculo 11, appellatur hæc regio *terra Ramesses*. Josephus ait habitavisse Israel et filios ejus in Heliopoli. Huic opinioni assentire videtur Arabica lingua, in quâ Ramesses dicitur *Fons solis*, quod idem sonat atque Heliopolis, *urbs solis*. Geographus Arabs non aliter illud intelligit.

Porro illa urbs, ait D. Calmet, cæteris fa-

ciè uribus regionis Gessen meridionalior fuerat: quamquam certus ejus situs, silentibus omnibus vetustis monumentis, ignoretur. Non longè tamen à Nilo constitutam, cui præcipue ejusdem regionis urbes omnes proximè accedebant, facili credimus. (De Transfret. Erythr.)

Demonstravit P. Sicard, *Ramessem* esse eundem locum atque *Bessatin*, tribus leucis distantem ab urbe *le vieux Caire*, ad orientem Nili et ad occidentem Erythraei in 50<sup>o</sup> gradu latitudinis et 49<sup>o</sup> longitudinis, ut ferunt nova observationes.

2. Sooth. — Ex *Ramesse*, castrametati sunt Israelitæ *Sooth* vel *Sooth*, in secundâ statione.

Satis constat hodiè *Sooth* idem esse ac campum *Candeli*, ad occidentem Erythraei, habentem ad occidentem *Ramessem*, ad orientem *Etham*.

3. *Etham*. — Ex *Sooth* Israelitæ venerunt *Etham*, tertiam stationem, locum, ut ait Moyses, in extremis finibus solitudinis; in extrema scilicet, dicit D. Calmet, orâ deserti Arabiam Petraeam et Ægyptum interjacentis, quam sanè vastissimam esse solitudinem geographi omnes conveniunt.

*Etham* idem est atque campus *Ramlio* ad occidentem maris Rubri, habentem *Sooth* ad occidentem, et mare *Rubrum* ad orientem.

4. *Beelsephon*. — Ex *Etham* ventum est in conspectu Philahiroth, quæ est inter *Magdalum* et mare, contra *Beelsephon*. Castra tamen, ait D. Calmet, eo loco non Israelitæ quidem, sed Pharaonem habuisse legimus in Exodo. Castellametati sunt Israelitæ *Beelsephon*, quæ est quarta statio, in conspectu Philahiroth et ex adverso *Magdali* aut *Migdoli*, ut satis patet ex libro *Numerorum*. Quare Pharaonis castra ad Philahiroth, Israelitarum verò ad *Beelsephon* constitimus, quemadmodum et *Migdol* ad septentrionem *Hiroth* et *Beelse-*